



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

B. Joannes Wildeshusanus Episcopus Bossinensis & 4tus Magister
Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

ter 1253. Dies obitus aut saltem memoria
ejus à P. Friderico Steill in Ephemeridibus
Dominicano - sacris refertur ad 15 Julii.

B. JOANNES WILDES-

HUSANUS, Episcopus Bossinensis,
& 4tus Magister Generalis FF.

Prædicatorum.

*Refertur cum titulo Beati à R. P. Friderico
Steill in Ephemeridibus Dominicano-sacris ad di-
em 4tam Novembris; & à P. Nicolao Schaten to.
2. Annal. Paderb. pag. 71. Corpus ejus ob mira-
cula plurima elevatum est anno 1260 ab Episcopo
Metensi, & electo Argentinensi, ut dicitur infra.
Agunt de eodem B. Humbertus de vitis FF. l. 4.
c. 25. Thomas Cantipr. l. 2. Apum. c. 57. Odo-
ricus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. to. 13. ad an-
num 1253 n. 15. Theodoricus de Apoldia & alii.
Patria ejus fuit Wildeshusum ad fines Diœcesis
Monasteriensis. Ordinem Patrum Prædicatorum
ingressus est anno 1220: In Magistrum illius Ge-
neralem electus anno 1241: Vitam mortali functus
anno 1253. Episcopatus Bossinensis, quem bien-
nio tenuit, pertinet ad Hungariam, & subjacet
Metropolitana Colocensi. Patrocinium ejus inter
alios experta est Maria Hungaria Regina, de qua
paulò post. Vivus autem an mortuus huic appa-
ruerit,*

ruerit, non decerno. R. P. Fridericus Steill loc. cit. pag. 31 scribit id factū eo adhuc in vivis commorante. Contrarium tamen videtur innuere Thomas Cantiprat. l. 2. c. 57. §. 59. idq; verisimilius esse arbitror, nisi ex Historia Hungariae aliud constet. De eodem in literis Anno 1260 ad Capitulum generale P. P. Prædicatorum datis testatur Bela 4tus Hungariae Rex, quod mortuum resuscitaverit, claudis gressum, & vilum restituerit non videntibus. Vide Steillum loc. cit. ubi Epistolam illam recenset, quam nos brevitate studio præterimus.

B. Joannes adhuc decem annorum puer, jam cœlesti revelatione aut vaticinio didicit, nasciturum brevī novum Prædicatorum ordinem: huic se inferendum; in eo se Provincialem, dein Episcopum, ac denique Magistrum Generalem, & ordinis totius moderatorem fore. Natus est Wildeshusen in Westphalia, oppido Bremensem inter & Monasteriensem Diœceses ad Huntam positum. Literas humaniores domi combibit in scholis patriis: alias sublimiores ut condisceret parentum suorum voluntate in Italiam deportatus est; ubi in Academia Bononiensi animimum studendo sic excoluit, ut non modo Magisterii Philosophici; sed & juris utriusque

que laureas ibidem consecutus sit. Accedebant his aliæ dotes non vulgares; & in primis quidem linguarum, quas callebat, amœna multiplicitas; tum etiam in agendis prudentia, in perficiendis facilitas, in moribus candor, in alloquio suavitas, in dicendo vis, in persuadendo efficacia. Quibus adminiculis cùm non esset difficile etiam Magnatum animos ad se attrahere, primùm Friderico 2do Cæsari à negotiis in urbe Roma & alibi; pòst etiam supremo Pontifici, cujus invitatu in Sacerdotium venerat, ab expiandæ conscientiæ obsequiis fuit. Varios in utroque hoc servitio annos circumegit cum laude maxima; dignùmq; ducebant Purpurati Patres, qui ad altiora Ecclesiæ subsellia gradum faceret, nisi interim conciones & miracula S. Dominici suasissent mundo valedicere, relictaq; Papali curiâ novo Prædicatorum Ordini nomen dare. Tyrocinium ingressus est Bononiæ anno 1220, & ab ipso S. Dominico vestibus sacris impertitus in Capitulo generali primo ibidem celebrato. Probatione absoluta per finitimas Italiæ regiones remissus est in Germaniam, ut pro singulari, quâ pollebat, in concionando facundia cultum Dei ac Beatissimæ Virginis in hominum cordibus

dibus auctiorem faceret. Initium hujus tanti
 sancti operis quasi per iter cœpit aggredi in
 Lombardia ac Ducatu Mediolanensi : inde
 per Helvetiæ montes ulteriùs defluentem
 excepit Suevia, aliq; Germanorum agri, in
 quibus, quoniam omnia jam ad messem alba
 erant, incredibili animarum fructu desudatū
 est. Nec defuit interim suorum necessitati-
 bus provida Dei manus. In Dicecesin Con-
 stantiensem delatus cum suo socio calceos
 habebat à diuturnis viarum asperitatibus ma-
 lè sartos lacerósq;. Nocte, quæ adventum
 utriusque præcucurrit, videndum se Christus
 obtulit Everardo Abbati Salmonswailerano,
 eumq; suaviter compellans, *Everarde, inque-
 bat, cras mittam ad te equos meos : tu eorum pe-
 des commeritis soleis calceari facies.* Cogitante
 Everardo, quodnam hoc genus equorum fo-
 ret; quæ soleæ eorum pedibus inducendæ
 sub refectionis meridianæ horam adsunt reli-
 giosi duo ordinis ibidem adhuc incogniti, vi-
 delicet B. Joannes & ejus Socius. Suscepit
 hos Abbas singulari amoris exhibitione; li-
 bros tamen, quos ferebant, & habitum info-
 lentem iterum iterumq; demiratus, *Quod-
 nam, inquit, vos hominum genus estis, viri cha-
 rissimi? cujus Ordinis ac instituti recentis soboles?*

Ad

Adhæc B. Joannes ore, ut solebat, facili ac jucundo : *Prædicatores dicimur, Reverendissime Domine : libri à nobis asportati satis indicant, oportere nos illustri scientia & sacrarum literarum cognitione instructos esse. Quòd autem vestem variam ac bicolorem gerimus, non est, quòd admirère : nos enim equi illi varii ac fortes sumus, de quibus Zacharia 6. & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes montes aerei, & in quadriga quarta equi varii & fortes. Tum verò nocturnæ revelationis dubio tandem evolut⁹ Abbas, vos, vos, inquit, revera estis equi illi, quos Dominus misit ad me. Nec mora : pedes novorum hospitum jussit ablui, mensam instrui, cibos afferri, calceos etiam utrique novos apparari, & interim fessorum corpora per dies aliquot eum in modum recreari, ut instauratis ex hoc diverticulo viribus ad opus Dei promptiores irent. Non poterat conatibus viri Apostolici una duntaxat regio satis esse : Germania penetota circus illi & stadium fuit, in quo curteret ; nec erat quisquam tam sublimi in loco positus, cui veritatem dicere, si res exigeret, non auderet. De [a] Friderico 2do Cæsare audierat è quibusdam Procerum, vitio carnis*

L 4

non-

[a] *Cantiprat. l. 2. Apum. c. 30. §. 43.*

nonnihil deditum; & opus esse prudenti monitore, qui opportunam huic vulnere medicinam faceret. Post dies aliquot postulabat Joannes aurem Cæsaris; & quia jam olim in ejus obsequio versatus fuerat, accessu facilius impetrato inter quatuor duntaxat oculos ita sugillabat vitium Augustissimi Principis, ut nullus ab ejus offensa timor esset. Premebat dolorem Cæsaris: ut tamen in eo parirer aliquid continentiae periculum faceret, foeminam conducebat auro, quæ pellaci oculorum vocisque lenocinio eundem in retia & casses ageret. Subit illa, frontem sine fronte porrigit; blandiri, decipere, inclinare in scelus nititur; sed eventu irrito. Nam Joannes interim ductâ ad ictum dexterâ tam fortem colaphum impegit insidiatrici, ut velut tonitruo in terram fusa tandem ab accepta plaga ruborem duceret, quem antea verecundus pudor exprimere non voluerat. Ita geminum simul & zeli singularis in animo, & invictæ castitatis in corpore testimonium abstulit; atque indeo deinceps tantò amplius apud Cæsarem in pretio ac veneratione fuit, quantò majorem se exhibuerat profano Hercule, qui teste Poëta: *Lenam non potuit; potuit superare leanam; quem fera non potuit vincere, vicit he-*

74. Et verò quis honorem illi non adscribe-
ret, cujus actiones & gesta cœlum ipsum non
infrequentibus prodigiis honorare visum
est? Promulgabat in urbe Basilea locisq; ad-
sitis bullam, quam vocant *cruciatam*, ad con-
citandos in bella sacra Christianorū animos;
intérq; alios, qui salutiferæ crucis signo inscri-
bi cœperant, etiam Cathedralis Ecclesiæ Ca-
nonicus sese stiterat unà cum affine suo con-
jugalibus vinculis jam adstricto. Audiit id
hominis mulier, indèq; in furias versa tot dæ-
monibus Joannem devovet, quot frondes &
folia æstivis arboribus adhærescerent. Non
abiit impune hoc mulieris iratæ facinus. Vix
verba ab ore fluxerant, cùm repentè horridus
faciem invadit tumor, totūmq; corpus tam
feralis lepra, ut vel ipsis, quod ajunt, manibus
præsentem Dei vindictam palpare posset.
Ruit illa subitò ad pedes viri Apostolici, re-
tractat inconsultum facinus, scelus confite-
tur, sanitatem si fieri possit, novo beneficio
reparari à Joanne flagitat, brevîq; pòst com-
pos votorum facta Deum timere didicit, qui
ita de se loquitur Deut. 32: *Videte, quòd ego
sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego
occidam, & ego vivere faciam: percutiam, &
ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit*

L §

eruerè.

eruere. In urbe alia cùm de eadem *cruciatu*
 pararet ad plebem dicere, próq; hominum
 accurrentium multitudine perorandi locum
 sibi delegisset extra mœnia, comparebat ibi
 sub idem tempus homo nobilis pulchro spe-
 ctandus equo, studebátq; modis omnibus la-
 bores pios intervertere, quòd à se & corrivallibus
 suo singulare certamen eodem loco ac tem-
 pore condictum esset. Orat Joannes virum,
 ut modò ejusmodi consilia missa faceret. Ab
 hoc repulsus, cœlum in suppetias vocat, ro-
 gans obtestánsq; , iram insolentis hominis ut
 coërceat, nec patiatur unius scelere tam co-
 piofis animarum lucris obstaculum poni. Mi-
 rum, quàm facilè in hæc vota cœlum fluxe-
 rit! Mox enim obluctantem sequitur ultor
 à tergo Deus, suisq; à sensibus ita amovet, ut
 instar fatui ad ædes reportandus fuerit, nec
 priùs sanitati restitutus, quàm à Joanne salu-
 tiferæ crucis signum ejus capiti impressum
 esset. His aliisq; præclaris facinoribus cùm
 viri tam beati sanctitas ubique volaret per ora
 hominum; primò ad Provinciæ Hungariæ
 regimen à suis superioribus, mox etiam à
 Gregorio Nono Pontifice ad Bossinensis Epi-
 scopatus gubernacula provectus est. Quanta
 sui nominis Ordinísq; commendatione di-
 gnita-

gnitatem hanc sustinuerit, quis poterit paucis eloqui? vidisses in eo renovari Apostolicam illam vivendi formam, quam olim tenuere primitivæ Ecclesiæ Præsules. Oviculas suæ commissas fidei admirabili regebat zelo, rerumq; humanarum despicientiâ; magis sollicitus, ut suis bene esset, quàm ut sibi. Paupertatem, quam in Ordine professus erat, retinebat mordicùs, nolebátq; apparere ditior sub Episcopali infula, quàm fuerat in cucullo. Ampliùs octona marcarum argenti millia proveniebant illi ex consueto sui Episcopatus censu: ex his tamen adeò parùm convertebat in usus proprios, ut pene pro nihilo putandum esset: cætera omnia liberali rivo fluebant in manus & necessitatem pauperum. Nec [b] equum sustinebat quidem pro itinere, cum pagos & oppida suæ Diœceseos visitatum iret. Assellum habebat solummodo, qui libros, pedum, infulam, cæteraq; muneri suo necessaria de loco in locum transportaret. Ipse interim cum suis fratribus pedestri itinere contentus erat, ne quid commoditatis suo corpori indulgeret. Quanquam vero tam arcto vivendi genere multum sibi laboris ac molestiarum pareret, magis tamen affligebat

animum

[b] *Cantiprat. l. 2. Arith. c. 57. n. 55.*

animum ipse honor & Episcopalis dignitas quam proinde ut demissionis religiosæ studio sibi liceret ponere, magnis precibus ab aula Pontificia petiit ac impetravit. Ita demum præter breviarium, crucifixum, vilémq; tunnicam nil aliud ab Episcopatu per biennium gesto referens, iterum venit ad monasterium, & eadem, quâ olim usus fuerat, austeritate obedientia, sui ipsius contemptu & abnegatione vitam egit. Verùm neque sic etiam declinare potuit, quò minùs cumulatus virtutù honor sequeretur fugientem. Mox enim à suo reditu Lombardiæ Provincialis constitutus, ex una statim dignitate ad aliam cœpit ascendere. Successerat ante biennium B. Jordano in Generali totius Ordinis Præpositura S. Raymundus de Pennafort, invitus quidem sed virorum tamen, qui ad eum accersendum venerant, gravi oratione tandem inclinatus. Ut tamen paulatim huic dignitati suos liceret humeros iterum subtrahere, anno 1240 generali edicto [c] sanxit, posse eum, qui totus præfesset ordini, suo officio renuntiare, eamq; abdicationem à Patribus, quos Definitores vocant, rati habendam & acceptandam esse.

[c] Bolland. in actis Ss. ad diem 7 Januar, in vita S. Raymundi c. 4.

Anno insequente , quū erat à Christo nato
1241 , in Capitulo generali Bononiæ congregato
decessionem ab officio petiit : & quia
jam lege cautum erat id fieri posse, etiam impetravit ;
causatus infirmitatem sui corporis gravio-
riorem esse, quàm ut onus hujusmodi diu-
tius sustineret. Itum ergo in sententias pro
deligendo novo capite & interea fratrum ali-
quis, dum pro felici electionis eventu arden-
tius precaretur , extra se ipsum raptus vidit
Joannem velut Eliam aliquem per monasterii
eiusdem peristylia vectitari curru igneo , se-
quentib⁹ magno numero religiosi Patribus,
qui sic ovantem insuetis plausibus deduce-
bant. Præfagium id erat eventus continuò
subsecuri : apertis enim eligentium calculis
B. Joannes omnium vota abstulisse visus est ,
sanctòq; Raymundo subrogatus incredibili
Patrum lætitia & gratulatione. Florentissi-
mus tunc erat ordinis quotidie crescentis sta-
tus, quot in eo Religiosi, tot erant sidera , ab
exemplo Beati Generalis velut à Phœbeis ig-
nibus relucencia. Ad fideles & infideles, ad
Ethnicos, Turcas, Tartaros, mittebant auxi-
liares suorum operas ; neque tamen satisfieri
adhuc poterat votis omnium, qui mitti cupe-
rent. Certè cū in Capitulo generali Pari-
siis

suis celebrato proposuisset necessitatem terræ
 sanctæ, simulq; à suis posceret, num essent ex
 iis aliqui, qui ad hoc itineris se offerrent, vi-
 tam & sanguinem, si opus foret, pro Christo
 profusuri; statim omnes in terram proni hu-
 millimis precibus pro se quisque flagitârunt,
 ut se laboris tam Apostolici consortes face-
 ret. Honores etiam Ecclesiastici, Episco-
 patus, Archiepiscopatus, purpuræq; Cardina-
 litæ tam certatim sese in Patrum Prædicato-
 rum capita demittebant, ut B. Joannes tot
 illustrium virorum jacturam conquerens fre-
 quenter ingemisceret: *Dum tales [d] homi-
 nes nobis tolluntur, pupilli efficimur absque Patri-
 bus. S. P. Dominicus non Episcoporum, sed Præ-
 dicatorum Ordinem ab Apostolica sede impetra-
 vit: non illi claves tradidit Petrus Apostolus,
 sed baculum: ut tam ipse, quàm ceteri Fratres pe-
 dibus iter agentes, regnum Dei per universum
 mundum prædicarent. Non curamus, ut Fratres
 nostri Episcopi sint; sed ut Sancti: nolumus esse
 Cardinales, sed Doctores, sed Martyres.* Imò
 Pontificiæ sedi adgeniculatus prece, quàm
 potuit, maximè submissa petiit Ordini ut in
 posterum suo magis parceret, nec ei tam ne-
 cessaria capita pateretur decerpi. Cui vicil-

[d] Steill, loc. cit. pag. 40.

sim supremus Pontifex : *Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Singularem ejus curam gessere superi, quoties vel pro negotiis officii sui, vel etiam pro curanda animarum salute iter faceret. Profectus per Romaniam divertebat ruri apud Sacerdotem pauperem, obvioq; statim in scamno confidens, quietem captabat aliquam lassato corpori. Cumq; bonus hospes præter cor affectu plenum aliud nihil apponere posset, quàm panem & haustum frigidæ; [e] cornicula de cælo lapsa repente ad Joannem advolat, ejusq; pedibus aliquantulum rostro percussis iterum se subducit. Miratus ille magni pretii numissima ad pedes conspicit, Sacerdoti egeno in manus porrigit, vinum & pisces pro eodẽ afferri postulat; tantiq; moneta valuit, ut ipse & ejus socius cum Sacerdote hospite potuerint hilariter convesci, & vesperum illum inter se religiosè amœnum ducere. Vixit in officio Magistri Generalis annis 12, obivit indefesso cursu regna & provincias plurimas, Capitula generalia celebravit 11; in quorum uno, quod in Monte Pessulano coactum est anno 1247, Spiritus sanctus

linguis

[e] Ita habet Cantiprat. sed Steill. vocat coturnicem.

linguis igneis in Patrum conscriptorum capitula decidisse visus est, quando in festo Pentecostes Cantores gemini pro decantanda, ut ajunt, Tertia inchoabant hymnum: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita.* Tandem quod commune mortalis naturæ fatum est postquam toti Ordini cum incremento illius maximo præfuisset, Argentinx in monasterio S. Bartholomæi in lutum simul & lethum incidit, omnibusq; Ecclesiæ Sacramentis sanctis præmunitus vivere in terris desiit die 4ta Novembris anno 1253. Corpus ejus inter frequentissimos hominum accursus primùm in pulchro datum est in choro ejusdem monasterii; postea verò in Capitulo generali ad annum 1260 ibidem convocato iterum elevatum est ab Episcopo, & honoratiore tumulo decoratum ob miracula varia, quibus Deus servituti suæ sanctitatem post obitum illustraverat. Præteribo hinc cæcos, qui visum; surdos, qui auditum; claudos, qui gressum; energumenos, qui liberationem; mortuos denique, qui vitam ejus ope ac patrocinio accepere: hoc solum duntaxat memoro, quod sibi contigit literis ad Capitulum generale datis contestata est Maria Hungariæ Regina, & Belæ Regis Hungariæ conjux. Exarserat bellum

gra

grave inter hunc & hujus filium Stephanum
 4rum ; jámq; exadversum in campo stabat
 exercitus geminus non sine atroci utrimque
 prælio dividendus. Regina trístis, geminóq;
 non gladio , sed amore faucia pronam se in
 preces conjicit , Deúm q; etiam per Joannis
 merita ardentè obsecrat, ne patiatur, vel in-
 de conjugē, vel inde filium à se divelli : con-
 jungat iterum , quos conjungebat sanguis :
 confociet, quos aliquorum perfidia malè dis-
 sociâsset. Non repulit has cœlum preces.
 Nocte, quæ pugnam decretam anteivit, B. Jo-
 annes Reginae se videndum objicit , forma-
 tóq; super illam crucis signo, *En ! inquit, fi-
 lium tibi tuam, ut optas, restituimus.* Illa, mox
 ut erat soluta somno , Christo & ejus Matri
 gratias agit , statimq; sub ortum solis literas
 accipit à Rege conjugè , filium Stephanum
 abjecto bello in gratiam Patris iterum con-
 cessisse, atque ad omnes illius nutus paratum
 se ostendere. Exstant adhuc prodigii hujus
 testes literæ , quas Maria Regina anno 1260
 ad Capitulū generale in urbem Argentinam
 misit hisce verbis :

Reverendis in Christo Patribus, Generali Ord.
 Prædic. & Definitoribus Capituli generalis,
 Maria, Dei gratiâ Hungariæ Regina & Chri-
 sti fa-

M

sti fa-

sti famula, amoris vinculum & devotam
verentiam.

Etsi plurima miracula atque prodigia, quae
felicis memoriae F. Ioannis Episcopi Bossinensis, Ge
neralis Ordinis vestri merita ab hominibus vulg
facta commemorantur, ego sigillatim describere
non valeam: unum tamen, quod ejusdem memo
ris in me factum est, nolo cum reliquis silentio pra
terire. Sciatis igitur, quod, cum perfidorum su
ditorum suasionem, inter dilectissimum mihi Bela
Regem Hungariae Dominumque meum ex una par
te, & charissimum Filium nostrum Regem Stepha
num ex alia, magna esset coorta discordia, ita ut
manus conserendas dispositi ex utraque parte ex
ercitus jam essent à regione constituti; Ego ut
Mater utrimque afflictam & maximo metu percul
sa dicti F. Ioannis opem imploravi, qui eadem ip
nocte, cum alio bonae memoriae Fratrem Gerardo
Priore ejusdem Ordinis mihi apparuit; cumque
tanta angustia, ut mihi praenominatum Filium
meum redderent, vehementer orarem, ipse F. Io
annes impresso super me signo crucis dixit: E
tibi Filium tuum, ut optas, restituimus. Ita
que tunc à somno excitata, quantum mea fragilit
tas tulit, Iesu Christo Domino nostro, & gloriosae
Virgini ut par erat gratias egi. Die vero illuscente
pervenit ad me Cursor cum litteris Regis Hunga
riae

rie Domini mei, quibus significabat, Regem Stephanum Filium meum se omnino Patri dedidisse paratum efficere, quidquid illi collibuisse. Placuit ergo meis hisce litteris hujus Viri Sanctissimi merita vestrae devotioni significare: vicissim vestram sanctitatem rogans, ut aliorum miraculorum, quae scitis illum patrâsse, me etiam certiore reddatis.

B. JORDANUS

2dus Magister Generalis Fratrum
Prædicatorum.

Refertur cum titulo Sancti ab Antonio Balinghem in Calendar. Mariano. Lippeloo in titulis ad ejus vitam prefixis. Herm. Crombach. l. 7. hist. Vrsul. c. 24. Petro Cratepolio & aliis. Item cum titulo Beati à Bollando in actis Ss. ad diem 13 Februar. Gelenio in fastis Coloniens. ad eandem diem. Friderico Steill in Ephemer. Dominicano-sacris ad eandem diem. Odorico Raynaldo in Annalibus Ecclesiast. ad annum 1236 n. 29. Henrico Spondano in Annal. Eccles. ad eundem annum n. 10. Abrahamo Bzovio, Schaten & aliis passim. Westphalum fuisse facile inter Authores convenit, & aperte fatetur ipsi coævus Thomas Cantiprat. l. 2. Apum. c. 57. S. 52. ubi sic loquitur de illo: Hic vir beatæ memoriæ, natione